

verò per scamillos intelligat, quatenus ad rem pertinet, notum est, quatenus verò ad nomen, difficile est, quoniam eo vocabulo nullos alios usos meminisse audiuisse, vel legisse. Camillum in quarto libro pro loculamento ponitur in quo aliquid collocatur, eos enim quadros nominamus, id est marginatas tabulas, in quibus pictura ponuntur: Itemq; capsum rheda, & tympani receptaculum, Camillum dici potest, & demum quicquid rem unam ab alia separat. Vnde apud cella Camilli dicuntur. Cum igitur stylobata promineant, podium retrahatur, videtur podium esse loculamentum quoddam. Quod si scamillum à scamno ducatur, & stylobatas tamquam libella esse intelligatur, idem sensus erit; atq; hoc est quod ait Vitruvius, stylobatam ita oportet exaequari, ut habeat per medium adiectionem per scamillos impares. Si enim ad libellam dirigetur, alueolatus oculo videbitur, id est, si perpetua, & exaequata stylobata & podium planities erit, alueolatus oculo videbitur, quod indecens est. Nam podium continenter in ordine columnarum procedit, stylobata resiliunt. Sed dolendum est non haberi Vitruvianam descriptionem, quam pollicebatur, his verbis: Hoc autem uti scamilli ad id conuenienter fiant, item in extremo libro forma, & demonstratio erit descripta. Hucusq; Barbarus. Qui aut nihil dicit, aut si aliquid, eadem prorsus refert quæ Philander, à quo (auctore non laudato) omnia accepisse videtur. Porro quod de Camillo comminiscitur, somnio simile est, cum quia eius vocabuli nullibi quarto libro (quod viderim) fiat mentio, tum etiam quod à Vitruvio retractionem podium alueolatum affirmet appellari, errat planè toto cælo Barbarus, neque enim de podium retractione loquitur Vitruvius, nec retractionem, de qua tacet, alueolatam profert. Adiectiuum nomen esse, alueolatum, dicerent Grammatici, ipsi stylobata, tanquam substantiuo inhaerens. Si enim ad libellam dirigetur, alueolatus (nempe stylobata) videbitur. Sed nil mirum Barbarum barbarè locutum, ignorauit enim stylobatam masculini esse generis, vnde ait, sub columnis stylobata posita erant: Alibi masculini generis facit, ad libramentum stylobata sunt collocandi: neutri etiam, quæ autem membra habere stylobata

bata